



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cavtio Criminalis, Seu De Processibus Contra Sagas Liber

Spee, Friedrich von

Francofvrti, 1632

4. An crimen hoc sit ex genere Exceptorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11133

8 Dub. III. *Quale crimen sit Sagarum &c.*
nihil in Germania incertius, quam reas
numerari posse.

D V B I V M III.

*Quale crimen sit Sagarum seu male-
ficorum?*

RESPONDEO, Enormissimum, grauis-
simum, atrocissimum.

RATIO est: Quia in eo concurrunt cir-
cumstantiæ criminum enormissimorum,
apostasiæ, heresis, sacrilegij, blasphemie,
homicidij, imo & parricidij, sæpe & con-
cubitus contra naturam cum creatura
spirituali, & odij in Deum, quibus nihil
potest esse atrocius, Verba sunt Delrij l. 5
Sect. 1. de quo argumento tamen alio li-
bello latius disquiram. Res indiget exa-
mine nouo, & accurato; diciq; possit
quod aiebat ille: *Reuertimini ad iudicium,*
Dan. 13. v. 49.

D V B I V M IV.

An crimen hoc sit ex genere exceptorum?

RESPONDEO, Quod sic. Nota enim,
solere Iurisconsultos duplicis ge-
neris crimina statuere, alia communia
& vul-

An crimen hoc sit ex genere exceptorum?

& vulgaria, vt furtum, homicidium, & similia, alia atrociora & grauiora, quæ directè magis vergunt in damnū rei communis, ac mirifico quodā modo Remp. affligunt, qualia sunt *crimen lese maiestatis*, l. fin. C. de accusationibus, & l. quoniam liberi, C. de testibus & c. *crimen hæreseos*, cap. in fidei fauorem, l. 6. de hæreticis, *crimen Sagarū*, l. fin. C. de maleficis & mathematicis, *crimen proditionis*, l. penul. & fin. C. ad legem Iuliam Maiestatis, *crimen coniurationis*, c. fin. de testib. cog. *crimen falsæ monete*, l. fin. C. de fals. monet. *crimen latrocinij*, l. D. Adrianus, ff. de custodia & exhibit. reor. & l. penult. C. de feriis, quæ crimina vocari solent Excepta. Nomen hoc inde est, quod excipiantur à communi seu ordinaria legis dispositione, sicut opus non fit contra ea se adstringere ad eum procedendū modum, quem alioqui in aliis præscribunt iura.

RATIO huius est, quia cum perniciosissima Reip. sint, atque eam extraordinariè lædant, æquum videtur si extraordinariis quoque mediis cohibeantur.

B 5

D V